

DISCVRSVS  
POLITICI  
SINGULARES,

DE  
INFORMATIONE ET  
COACTIONE SUBDITO-

RUM, UBI AGITUR

- I. *De Educatione, Studiis literarum, Peregrinatione, curâ Religionis.*
- II. *De Premiis, Pœnis, Legibus.*
- III. *De Magistratibus & Censoribus.*

AUCTORE

CHRISTOPHORO BESOLDO JC.



ARGENTORATI.

Sumptibus Heredum LAZARI ZETZNERI.

ANNO M. DC. XXVI.



DISSERTATIO I.  
DE EDUCATIONE,  
STUDIIS LITERARUM,  
PEREGRINATIONE, ET  
CURA RELIGIONIS.

CAP. I.

*Generalissima Reipublicæ conservanda  
præcepta continens.*

**D**E constitutione Reipublicæ, & ejus partibus alibi actum à me fuit, ut & harum partium jura, ac proprietates ut-  
cunque sunt explicatæ. Nunc porro quomodo, omnes  
hæ partes, officio suo probè debeant fungi, pro instituti-  
ratione succinctè dicam. Idque perfunctoriè faciam, &  
sine præjudicio aliorum opinionis. Ingero que illud Lactantii, 3. *Di-  
vin. instit. cap. 7. ad fin.* Si eligere possumus, quod est melius, jam non est  
Philosophia nobis necessaria: quia sapientes jam sumus, qui de sapien-  
tum sententiis judicemus. Consistit hæc tractatio in reipublicæ con-  
servatione, amplificatione, & morbi status curatione. Sarta tecta autem  
reipublica est conservanda; tam à periculo corruptionis internæ, quàm  
ab externâ vi; nempe ut cives nolint; Hostes nequeant malum moliri.  
Hocque respectu Aristoteles 7. *Polit. cap. 14.* dicit: Omnem vitam in  
negotium & otium; Pacem & bellum divisam esse. Quemadmodum  
verdè ea Politices pars, quæ de administratione reipublicæ tractat; magis  
necessaria videtur, quàm ea, quæ de constitutione reipublicæ agit: ita  
summa cogitationum nostrarum, hæc esse debet; cum Pericle magis  
domestica vitia, quàm hostes metuere, Eberhard. à Weihe, de prærogat.  
succes. B. 4.

I I. Firmitas & conservatio reipublicæ, internam contra corru-  
ptionem; in duobus hæc præcipuè consistit: (1) ut subditi benè re-  
ctèque

niones illas suas inanes, & superfluas missas faciant, & ad veram ecclesiam repurgatam ac restitutam se recipiant. Quos vulgò Calvinistas indigitamus, de Pace, & moderandis condemnationibus multa scribunt: & Irenicum Patæi, eo fine editum est, ac etiam Tractat. Was die Psälische Kirchen glauben, adde Pelargum, In der Antwort auff Crameri Fragen. Et ex nostratibus, (ita puto) Christophorum Donavver, in tractat. Erhebliche Ursachen/ warumb er auff öffentlicher Cangel/ in Verläßerung ic. der genannten Calvinisten sich nie einlassen könne ic. At hanc moderationem, quam desiderant in Lutheranis, obtinere nequeunt in belgicis ecclesiis Arminiani, vide tractat. Gallicum, *Le Chrestien vraiment moderè.* & quæ in causâ Vorstii, ac Remonstrantium, indies eduntur scripta. De mediis concordia, vid. omninò Politic. Goldasti, *part. 28. per rot.* Grynæum, *lib. 1. epistol. 44.* adde Acontium, *tractat. de stratagemat. Satanae.* Et exhortationem ad concordiam, piam; habet Decretum Ordinum Belgic. *fol. 122.* Et de officio Pii Viri in controversiis religionis, singularem scripsit libellum Cassander, & illum etiam contra quendam oppugnatorem defendit. Et hæc præter, propter, & per saturam quasi annotare placebat; quæ hac de materiâ, difficili & odiosâ, apud gravissimos auctores quondam me legisse, recordabar. Iudicent ii, qui certi sunt, se Spiritu Sancto duci.

---

DISSERTATIO SECUNDA.

DE PRÆMIIS, POENIS  
ET LEGIBUS.

C A P. I.

*Premiorum distribuendorum necessitas.*



U M quæ sunt hætenùs deducta, ad persuasionem potissimum referantur; nunc ea conservandæ reipublicæ remedia attingam, quæ jubere magis, quàm persuadere censentur. Hocq; dum facio, non præter officium meum agere videor. Nàmque & alicubi Plinius Iun. in *epistol.*

ipse Princeps conspurcatus adparet. Boccalin. d. Parnas. 2. fol. 37.

V I. Quemadmodum Musicorum cantibus mutatis, etiam civium mutatur Status, ex sententiâ Platonis: sic Nobilium vitâ, victuq; mutato, & mores civium commutantur Cicero, 3. de leg. b. Indêque ut in corporibus, sic in Imperio, gravissimus est morbus, qui à capite, aut membris principalibus diffunditur. Cûmque pauci, atque admodum pauci, honore & gloriâ amplificati, vel corrumpere mores civitatis, vel corrigere possint: maxumumque compendium benè instituendi & reformandi Rempublicam sit, ritè instructa Aula. Omnes ergò Principes & Optimates, periculum scandali evitent, bonisque moribus studeant. Aulæ mores corrigat bonus Princeps. Guevara, in Marc. Aurel. cap. 24. Plus enim exemplo, quàm peccato nocent: nec tàm malum est peccare Principes, quantum illud, quòd permulti Imitatores Principum existunt. Exemplum optimus est Censor. Ac laudem meretur Artaxerxes, qui noluit aliquem, pro more Persarum, cogi ad bibendum. Josephus, 11. antiquit. cap. 6.

## Visum etiam est adjungere Discursum

Germanicum, ex iis, quos olim vix adulescens  
conscripsi; cum is de Cen-  
surâ agat.

### Von der Römer Censur, oder wolange- sehener Rugordnung.

**S**wollen die Juristen / in deme sie ihr Professio-  
nem; rerum Divinarum atque humanarum notitiam, justî  
atque injusti scientiam definire / darsûr angesehen sein / als  
wann sie das trumme grad / vnd dero fürgeben nach mit ihrer  
Kunst soviel zuwegen bringen könden / das ehrlich gelebt / niemand ver-  
nachtheilt / vnnnd jedem / was ihm gehörig / zugestellt würde. Es ist  
aber hin gegen / meines erachtens / mehr dann offenbahr; daß vnange-  
sehen / vermittelst wolangestellter Gerichten / der so sich beschädigt / oder  
vervortheilt befind / widerumb erholen vnnnd das jenig / so ihm gebürt / be-  
kommen mag. Doch besagte Gericht / jurêve civili prodire Actiões  
vnd Process, ein ehrlich vnnadenlich Leben zuerhalten oder begeren / so  
wenig gnugsam / das auch nicht alles / so sonst in Rechten zugelassen /

§. 1. Inst. l. 1. de  
§. 2. ff. de just.  
& jur.

Curva corri-  
gere.

§. 1. Juris præ-  
cepta Inst. l. 1.  
10. §. 1. ff. d. 4.

I non omne,  
144. l. in cõ-  
ventionibus.  
179. ff. de reg.  
jur.